




John Carter Brown
Library
Brown University

[illegible]

BIBLIOTECA
DE
OSCAR E. CARBONE
Vol. Núm.
6806
Sec. Est.

Medicina 143.

BIBLIOTECA
DE
OSCAR E. CARBONE

Vol. Núm.
9938

Sec. E. 262

Medina 143.

ASSERTA
EX
UNIVERSA PHILOSOPHIA

deprompta, propugnandaque in hac regia, & perillustri Cordubensi Universitate.

PRO COMPLENDO ARTIUM TRIENNALI curriculo

SUB BEATISSIMÆ DEI-PARÆ A PRIMO suæ Conceptionis instanti sine labe originalis culpæ auxiliis.

D. O. C.

PRÆSIDE

P. Fr. ANASTASIO MARIANO SUAREZ, REGULARIS Observantiæ S. P. N. Francisci, nec non Artium Cathedræ Moderatore.

IN CIVITATE BONAERENSI:

Apud Typographiam Regiam Parvulorum orphanorum.
ANNO MDCCXCII.

EX LOGICA.

HUmanus intellectus, qui in cognoscendo est potentia necessariò operatrix cudit rerum notiones propria facultate ex aproximatione mediata vel immediata, objecti cognoscibilis, in nullaque perceptione fallitur: undè veritas formalis ita annexa est ideis, ut nulla detur, nec dari possit perceptio formalitèr falsa, licet materialitèr, & propter subsequens judicium possit aliqua reddi falsa. Negativarum rerum ideam claram distinctamque similitèr in se eformat ex cognitione rerum positivarum. Dei optimi Maximi notionem habet sicut & aliarum rerum Spiritualium ex rebus materialibus: quare veluti somniasset Cartesium arbitramur, dùm maximo studio, conatuque intendit ideas innatas nobis persuadere. Falsum etiam, & intimo sensui contrarium est nos omnia videre in essentia Divina, veluti in speculo, seu in dea Archetipa, quaproptèr scientias omnes de novo acquiri firmitèr tenemus. Et si intellectus suos actus facilitèr exerceat circa omnia objecta, verò idem intellectus circa idem objectum penes eandem rationem elicere actus scientiæ, fidei, & opinionis minime valet. Propositionum, quæ in materia contingenti fiunt, veritas, & falsitas mutantur, at illa propositio invariata, & absque ulla mutatione perseverat: dantur tamen propositiones, quæ licet earum objectum nondùm existat in rerum natura sunt determinatè veræ vel falsæ posito Divino Decreto circa existentiam objecti.

EX METHAPHYSICA.

RAtio generalissima entis, utpote imprescindibilis à suis

ultimis diferentiis non univoca est Deo, & creaturis; sed analoga; quare distinctio illa, quam Scotistæ mediam tenent inter realem, & rationis admittenda non est gradus inter superiores, & inferiores ejusdem individui creati. Prima rerum creatarum possibilitas, quæ intrinseca, & essentialis dicitur non constituitur per Divinam Omnipotentiam, nec per aliud quodcumque attributum sed tantùm per non repugnantiam prædicatorum uniuscujusque rei; extrinseca verò ab Omnipotentia Divina non distinguitur. Cum autem prædicata intrinseca creaturæ omnium maximè repugnent, repugnare etiam creaturam libenter substinemus. Pro constitutivo autèm formali futuritionis rerum assignamus Divinum Decretum, quo posito jam res non solum dicit non repugnantiam prædicatorum, sed existentiam determinatam in tempore habendam, quin ex hoc sequatur essentiam realitèr, imò, nec modalitèr distingui ab existentia; tamèn subsistentia creata supra supositum addit aliquid positivum distinctum à natura.

ANima rationalis substantia, & spiritualis, & simplex gaudet immortalitate intrinseca, quare non perit in destructione corporis, cui adjuncta est, sed à corpore separata potest cogitare, & suas operationes elicere; nihilominus essentia ejus non est actualis cogitatio, ut Cartesio placet. Mirabile commertium animam inter, & corpus, in causarum occationalium systhemate minime explicatur absque libertatis detrimento; undè dari causas secundas verè efficientes suorum effectuum defendimus. Futilem esse recursum Cartesii ad ideam innatam Dei, ut entis summè perfecti ut ejus existentiam contra Atheos demonstret suadet triplex ratio, scilicet physica, methaphysica, & moralis, qua evidentèr probamus existentiam Dei, & similitèr ejus unitatem ratione naturali. Necessariam existimamus physicam præmotionem, ut creaturæ naturalitèr operentur, quin talis præmotio cedat in præjudicium libertatis.

RPJCB

EX PHYSICA GENERLI.

COrporis physici generatim sumpti ratio formalis sita non est in trina dimensione, ut Cartesio placet, nec in impenetrabilitate actuali, cujus opinionis Gasendus Patronus; sed in exigentia radicali occupandi locum cum exclusione alterius corporis. Corpora omnia physica, quæ sensibus subjiciuntur, & etiam illa quæ propter exiguitatem fugiunt sensus ex duplici principio primario, & intrinseco consurgunt, quorum unum est materia prima, id est congeries minutissimarum particularum sola magnitudine, & figura diferentium: aliud principium dicitur forma substantialis, quæ in se non est aliqua entitas distincta ab entitate materiæ, sed unicè combinatio, & dispositio ipsarum partium materiæ. Præter hujusmodi principia dantur alia secundaria, non omnium corporum, sed tantum mixtorum, videlicet quatuor Peripateticorum elementa, quæ in mixtis formalitèr continentur, utpote ingenerabilia, & incorruptibilia ad invicem.

ETiam alia dantur corpora, quæ à Philosophis dicuntur continua, diferuntque à contiguis per intrinsecam unionem, & commissuram particularum, qua ornatur continuum, non verò continuum; & si continui partes sint penè innumeræ; non tamèn sunt infinitè divisibiles. Nullum admitti potest spatium sensibile à nullo penitùs corpore occupatum naturalitèr, licet supernaturalitèr dari possit; vacuum verò diseminatum naturalitèr necessario admittendum est: undè, licet causa motus corporum sublunarium non sit intrinseca, sed extrinseca ipsis, tamèn motum omnem localem esse, cum melioris notæ Philosophis substinemus.

COrporibus adsunt aliæ proprietates, seu qualitates, quæ explicantur per particularum combinationem, & tex-

turam, ut sunt fluiditas, quæ in leni contactu particularum consistit; Diafaneitas, quæ à rectilinea dispositione porulorum repeti debet; opacitas à tortuosa, & inordinata pororum dispositione, ratione cujus corpora opaca non permittunt liberum transitum lucis; elasticitas tandèm optimè explicatur per unionem partium rigido flexibilium. Lucis verò natura si pro materiali consideretur, nihil aliud importat, quàm subtilissimam substantiam æthercam, quæ hospitatur in omni spatio, in omnique corpore; pro formali verò à motu tremulo, & vibratorio ipsarum particularum repeti debet, quo posito, & lucem corpus esse probatur, & omnes ejus proprietates felicitèr explicantur: undè colores, quibus corpora formalitèr colorata redduntur oriuntur à reflectionibus, & refractionibus, quas lux patitur in corporum superficiebus cum umbellarum mixtione, quin opus sit recurrere ad atrahactionem Neutonianam. Hominum verò Africanorum constans, & perpetuus color niger repetendus est ab humore quodam villioso, qui hospitatur inter cutem, & eorum cuticulam, & non à cibis, & potibus quibus nutriuntur, nec à territorio ubi habitant.

SOnus alia corporum proprietas consistit in motu tremulo particularum corporis sonori; derivativus verò in particulis aeris quæ secundæ clasis dicuntur eodem motu agitatis: undè & si aer sit corpus aptiùs ad propagandum sonum, etiam per alia corpora communicatur, sive propagatur, ut pluribus experimentis convincitur. Odor physicè consistit in efluviis substantialibus emissis à corpore odoro, quæ apta sint ad percusionem faciendam in nervias narium papillulas; similitèrque saporem repetendum judicamus à particulis corporis sapidi, quæ in ore saliva dilutæ diversimodè afficiunt pallatum; undè nullum datur corpus sapidum cujus particulæ non disolvantur.

COrpora omnia sublunaria pollent absoluta gravitate; undè causa immediata descensus omnium corporum est subtilissimus æther proprio pondere omnia corpora premens versus centrum terræ, gravioritas autèm unius corporis præ alio provenit à majori, vel minori portione materiæ. Ætheris existentiam præterquamquod necessariam esse, etiam ratione probabimus: corpora ipsa gravia in descensu suum motum accelerant per numeros impares; causa autèm accelerationis est aer, qui novis, & repetitis luctibus premit à tergo corpora descendentia. Absque ullo recursu ad accidentia Peripateticorum, quorum existentiam negamus, etiam in venerabili EUCHARISTIÆ Sacramento, dilucidè explicantur omnia phænomena naturæ.

EX PHYSICA PARTICULARI.

UNitatem mundi, quem incollumus talitèr defendimus, ut attenta ejus productione nullus alius, etiam perfectior sit possibilis: temporaneus est non æternus, creatusque in Equinoctio Verni respectivè ad plagas boreales. In rerum ordine, & dispositione Ticonicum systhema præferendum est omnibus; sub hypothesi tamèn, quod Deus ita disposuisset res, sicut Nicolaus Copernicus refert in suo systhemate potest defendi, habita reverentia Romanæ Ecclesiæ. Terram in medio universi, quiescentem, partibus disimillaribus ornatam censemus, cujus qualitas potiùs frigida est quàm calida; montibus, vallibusque abundantem esse in ejus superficie, quorum existentia ante-Diluviana probatur ex Sacra Pagina; aliorum verò montium origo repeti debet à decursu aquarum, tùm ab impetu ventorum, tùm denique à terræmotibus, quibus terra succutitur: in ejus visceribus, veluti in matrice innumera continentur fosillia, ut aurum, argentum, ferrum; & quamplurimi lapides pretiosi, quorum

aliqui vivunt vita vegetativa, concrescunt, & tandèm maturescunt, ut Amethystus, & alii; hospitantur etiam in terræ visceribus quamplurimæ particulæ sulfureæ, nitrosæ, & vituminosæ, ex quarum concretione, & unione ad invicem medio calore ignis subterranei repeti debet origo, tum lapidum, & aliorum fosillium; terra deniquè proprio pollet magnetismo, quod optimè explicatur per quoddam profluvium generale telluris egrediens, & ingrediens, à polo in polum; magnetismum verò repertum in aliquibus lapidibus explicatur, tùm per profluvium generale telluris, tùm etiam per particulare uniuscujusque lapidis.

SI aquæ elementum respiciamus, eam diafanam, omni elasticitate, & compressibilitate expoliatam inveniemus, cujus partes Sphæricæ, vel ferme, & intus excabatæ, in se que durissimæ sunt, natura sua aqua potius fluiditatem, quàm soliditatem petit, estque corpus grave: undè aqua conglaciata non est naturalitèr aqua, nec humor ille qui extrahitur à floribus ope Alembici, ideoquè non est materia certa Sacramenti Baptismatis. Marinæ verò aquæ salcedo, & amarulentia provenit à particulis salinis, nitrosis, & vituminosis, quæ hospitantur in mari ab illius exordio; per quarum fermentationem explicabimus fluxum, & refluxum maris.

DAtur revera elementum aeris, cujus particulæ sunt ramosæ, & rigidò flexibiles, consequenterque est corpus grave & elasticum, à cujus pressione, & elaterio proveniunt immediate ascensus liquidorum in tubis, cum hoc solo discrimine, quod in tubis capilaribus attendenda sunt scabrositas parietum tubi, viscositas liquidi, major, vel minor densitas admostpheræ: frigidus, calidusque multotiesque apparet aer, & qualitates istas trahit à locis per quæ transit, ut plurimis experimentis comprobatur: aer à

vento non distinguitur, nisi secundum magis, & minus, quatenus aer rarefactus propter inflammationem particularum Salis-nitri, & sulfuris medio calore solari, vel ignis subterranei dilatatur quaquaversum.

IGnis elementi existentiam per se notam habemus, cujus nulla datur sphæra in concavo Lunæ, nec supra aerem nostrum admostphæricum, sed hospitatur simul cum aliis elementis in omnibus corporibus: ejus natura pro materiali repetenda est à particulis subtilissimis sphæricis aptissimis ad motum concipiendum; pro formali verò in motu tremulo celerrimo, & concitatissimo earumdem particularum consistit: undè calor formalis ab igne non distinguitur nisi secundum magis, & minus. Miranda illa phœnomena, quibus iratum naturæ vultum formidamus, videlicèt tonitrum, fulgur, fulmen, per torrentem electricum dilabentem à terra ad nubes vel à nubibus ad terram explicabimus: Auroram Borealem repetendam esse asserimus ab illuminatione admostphæræ Solaris.

LUna natura sua est corpus opacum, maximè densum, montibus vallibusque ornatum; quare lux quam in nos mittit à radiis solaribus in ipsam incidentibus repeti debet: movetur enim Luna duplici motu, scilicet diurno ab ortu in occasum; & mestruo, quo conficit propriam orbitam, patiturque suos ecclypses dùm terra interjacet ipsam inter & solem; & cum terra major sit Luna potest contingere ecclypsis totalis ipsius. Reliqui Planetæ, & etiam cometæ, qui non exhalationes, sed corpora cœlestia mundo coæva sunt corpora opaca, & lucent lumine à Sole mutuato; tamèn ex hac propositione generali stellas excipere debes, quæ lucent lumine proprio.

SOL natura sua est verus ignis lucet lumine proprio, majorque est toto orbe terraqueo, patitur suos ecclypses

68-316
Parke-Bernet via Wormser
3-21-68

dùm Luna interponitur Solem inter & nos, nunquam tamèn potest esse totalis; triplici motu movetur, videlicet diurno, annuo, & motu vertiginis circa proprium axem: maculæ illæ, quæ in Sole observantur proveniunt à motu particularum Solis, & sunt veluti fuligines, cauda, & crines cometarum oriuntur à congerie exhalationum ascendentium, vel descendentium ab eorum nucleo.

ANimalia omnia tàm vivipara, quàm ovipara, etiam illà quæ imperfecta dicuntur propter nimiam musculorum compagem nascuntur ex ovis fœcundatis, & non à putrida quadam fermentatione; undè animalia fæminea ovarium in se continere defendimus: pariter etiam plantulæ ex proprio, & specifico semine nascuntur, etiam illæ quarum semina nunquam percipiuntur. Bruta verò animalia gaudeant ne spirituali anima inferioris ordinis, ac anima rationalis, vel sint miranda Omnipotentis Dei authomata, quorùm actiones explicentur per mechanismum problema est.

EX ETHICA.

SI appositus reus ante tribunal Judicis teneatur iste judicare propter testium comprobationem, vel non elige; & similitèr si Ecclesia præcipere queat vel non actus mere internos. Leges humanæ absque populi acceptatione obligant in conscientia; dispensatio autèm in ipsis facta absque causa legitima, vel necessitate, etiam si valida sit, non licet subditis ea uti.

Indiscriminatim defenduntur in Templo Dei-Paræ sub titulo de Mont-serrat dicato. Die mensis anni Dñi. 1792

Mane hora 8. *Vesperè autèm* 3.

BA792
S939a